

reverteretur cum uxore, Laurentio Mannæ electo, & multis nobilibus prope fines Radlandia orta tempestate submersus est.

M C C X L I X. Reginaldus Olavi filius, frater Haraldi cœpit regnare pridie Nonas Maii, & tricesima die ejusdem occisus est ab Yvaro milite, & à suis, in prato prope ecclesiam S. Trinitatis ad Australem partem; sepultusque est in ecclesia S. Marie de Russin.

Eo tempore Alexander Rex Scotorum coadunavit multas naves, ut sibi subjeceret insulas, & in insula Kerwray febre correptus moritur.

Haraldus filius Godredi Don Regis nomen in insulis usurpavit, omnes principes Haraldi Regis Olavi filii exiles fecit, & profugos ejus principes, & optimates pro eis constituit.

M C C L . Haraldus filius Godredi Don vocatus per literas adiit Regem Norwegie, qui detinuit illum in carcere, quod regnum injuste occupasset.

Eodem anno applicuerunt apud Roghalwah Magnus Olavi filius, & Ioannes filius Dugaldi, qui regem se nominabat, sed Mannenses agrè ferentes quod Magnus non nominaretur, repulerunt eos à littore suo, quorum multi naufragio perierunt.

M C C L I I . Venit Magnus Olavi filius ad Manniam, & constitutus est Rex, sequenti anno profectus est ad regem Norwegie & mansit ibi per annum.

M C C L I I I I . Haco rex Norwegie constituit Magnum filium Olavi regem insularum, & confirmavit eas sibi, heredibus suis, & nominatim Haraldo fratri ejus.

M C C L V I . Magnus rex Mannie profectus in Angliam, fit Miles à rege Angliae.

M C C L V I I I . Ecclesia S. Mariae de Russin dedicata est à Richardo Sodorensi.

M C C L X . Haco Rex Norwegie venit ad partes Scotorum, & nihil expediens, versus ad Orcades ibi apud Kirwas moritur, & sepultus est Bergæ.

M C C L X V . Obiit Magnus filius Olavi Rex Mannie & insularum apud castellum de Russin, & sepultus in ecclesia S. Mariae de Russin.

M C C L X V I . Translatum est regnum insularum propter Alexandrum Regem Scotorum.

Quæ sequuntur alio charactere, & recentiore descripta sunt.

M C C L X X . Die septimo Octobris clasæ Alexandri Regis Scotorum applicuit apud Roghalwath, & sequenti die ante solis ortum commissum est prælum inter Mannenses & Scotos, & ceciderunt 535 Mannensium, Vnde quidam versificator,

L. decies, X ter, & pente semel cedere,  
Mannica gens de te, damna futura cave.

M C C X I I I . Robertus Rex Scotorum obsedit Castrum de Russin, quod Dingway Dowyl tenuit contra eum, sed tandem Rex Castrum cepit.

M C C X V I . Die Ascensionis, Richardus le Mandevile, & fratres ejus cum magnatibus aliis Hibernæ applicuerunt apud Ramaldwath, petentes sibi victualia, & argentum ministrari, quod depredati erant per hostes super eos continuè debellantes. Cum Communitas respondisset se nihil velle dare, processerunt contra Mannenses cum duabus turmis, quoique venerunt sub latere mon-

tis Warthfell, in campo ubi manebat Iohannes Mandevile, & ibi commissum prælio devicerunt Hibernici Mannenses, spolia verunt insulam, & Abbatiam de Russin, & cum per mensum in insula perendinassent, impletis navibus antiquo. ad propria sunt reversi.

Finis Chronici Regum Mannæ.

Sequentis historia seriem nunc ex aliis attexam.

C Vm Alexander Tertius Rex Scotorum occiduis insulis partim victoria, partim pecunia Norwegorum Regi numerata potitus esset, Manniam etiam quasi ex earum numero aggressus est, virtuteque Alexandri Steward sub suam rededit ditionem; Regulumque imposuit ea legge ut sibi navalí bello cum decem navibus, quandocunque juberet præsto adesset. Maria tamen filia Reginaldi Regis Mannæ (qui devenierat ligius homo Iohannis Regis Angliæ) litem de insula intendit coram Rege Angliæ, sed responsum tulit ut à Scoto peteret, quod ille tunc temporis Insulam tenuerit. Ejus autem ex filio nepos Ioannes V Valdebeof (nupta enim fuit Maria in familiam de V Valdebeof) jus avitum persequutus est in Parlamento anno Edw. Primi trigesimo tertio, coram Angliæ Rege tanquam Superiori Domino regni Scotiæ. Nihil aliud tam responsi tulit, quam (ut ex ipsis sacris scriptis loquar) Sequatur coram Iustitiariis de Banco Regis, audiatur, & fiat iustitia. Sed quod ille jure non potuit, Guilielmus de Monteacuto affinis ejus (erat enim è Mannensem Regum familia oriundus) armis obtinuit. Tumultuaria enim Anglorum manu Scotos omnes Insula exturbavit, sed cum ille ad hoc bellum magnum æs alienum conflasset, nec unde nomina dissolveret, haberet; Antonio Bec Episcopo Dunelmensi, & Patriarchæ Hierosolymitano in septem annos oppignoravit & usumfructum legavit, eidemque Antonio mox Rex ad vitam concessit. Postea deliciis suis Petro de Gaveston concessit Rex Edwardus Secundus, quo tempore illum Cornubiæ Comitem creavit, illoque extincto dedit Henrico de Bellomonte cum omni dominio & iustitia regali. Scotti autem mox sub Roberto Brus recuperarunt, & Thomas Randolphus bellicosus ille Scotus, ut longo post tempore Alexander Dux Albaniæ se Mannie Dominos scriptitarunt, & recentioribus Regum Insularum insignibus usi sunt, videlicet tribus humanis tibiis armatis, conjunctis, & poplitibus inflexis, cuiusmodi Sicilia nudis ad tria designanda promontoria olim numismatibus exhibuit. Antea tamen (ut è sigillis ipsorum Regum vidimus) navis velo complicato illis in usu erat, cum titulo Rex Mannie & Insularum. Scottis circa annum M C C C X L Guilielmus de Monteacuto junior Comes Sarisburiae armata manu extorsit, qui Manniam cum corona Anno Domini M C C C X C I I I , (ut habet Walsinghamus) Guilielmo Scrop grandi pecunia vendidit. Quo ob læsam majestatem capite mulctato & bonis publicatis, in Henrici Quar-

Domini  
Mannæ.

Insignia  
Regum  
Mannæ.

Insignia  
antiqua Si-  
ciliae.

Quar-